Sacro-Sancta quod faxit Monotrias!

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA

DE

ELEPHANTIASI

QUAM

DIVINA AFFULGENTE GRATIA

Ex Authoritate atque Consensu

AMPLISSIMI AC GRATIOSISSIMI ORDINIS ASCLEPIADEI IN INCLYTO ET Florentissimo Argentoratensi Lyceo

PRO LICENTIA

Summos honores & Privilegia Doctaralia consequendi

Publicæ Iatrogonistarum censuræ submittit

CASPAR THEOPHILUS BIERLING, Lipsiensis Misnicus.

Die 22. Mensis Martij horis locisque consuetis

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS WELPERI.

M. DC. LXV.

VIRO

Nobilißimo, Excellentißimo, atque Experientißimo Domino

VALENTINO ANDREÆ MÖLLENBROCCIO,

MED. DOCT. FAMIGERATISSIMO, APVD HALLENSES MEDICO ORDINARIO DIGNISSIMO, Fautori & Vitrico ſuo nullo non tempore colendiſſimo.

Wie auch

Der Ehrbahren viel Ehr vnd Tugendreichen Frauen


N. N. Bäckerin/

Vornehmen Handels-Fraw in Leipzig/ Seiner insonders hochgeehrten Fraw Muhmen.

Suam de Gradu Diſputationem

D. D.

CASPAR THEOPHILVS BIERLING.



DEO DUCE ET AUSPICE CHRISTO.

Procemium.

NOs terræ filios perpetuo graviſſimis infeſtari morborum telis tantis pervulgatum eſt exemplis, ut etiam exinde Democritus, cujus in epiſtola ad Damagetum meminit Cous, egregium iſtam propalarit ſententiam: ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος ἐστί; *totus homo ab ipſo ortu morbus eſt.* Non ſolum enim in primo ętatis flore ab ipſis tenemur correpti, verum & primum intuentibus lucem, vox nulla eſt alia ac triſtis. Imo nonnunquam dum adhuc in communi naturæ horto, nimirum utero ſumus incluſi, à morborum afflamur contagio, uti latiſſimus exemplorum campus quamplurima exhibet teſtimonia. Neque etiam tunc deſinunt, extrema cum fruimur ætate, ſed ſeſe nobis tamdiu præbent comites, donec æternitatis albo ſumus inſcripti. Nonne igitur ſumma noſtra calamitas deploranda? Et quod magis. nec ulla etiam totius corporis pars hâc ac labe gloriari poteſt immunis, modo enim iſta morborum agmina caput; Cœlum microcoſmi atq; ſacram Palladis arcem ſuis cum inquilinis invadentia,ad ſolum diruere cupiunt, modo ad Cor,totius noſtri corporis Regem & Gubernatorem ſive Solem Microcoſmi, ſæviſſimis ſymptomatum ſatellitibus ſtipata, incedunt, ut, illud, ſeſe inter anguſtias videns, multoties palpitare tremoreque affici videatur; modo etiam infimus venter, modo

pedes, modo brachia, imo sæpissimè universum corpus extremaque forma à Hydrâ ista Lernea tali imbuuntur veneno, ut vix ac ne vix istud, etsi etiam omnes colligamus vires, exturbare valeamus. E quorum numero etiam fœtidissimus juxta ac molestissimus affectus, Elephantiasis dictus, non est excludendus. Qui homines, tali imbutos labe ex consortio aliorum ejicit, ad perpetuos fermè carceres condemnat, variis aliis hominem commaculans malis, ut etiam Aretæus *cap. 13. libr. 2. de curat. morbor. diuturn. p. m. 95.* permotus fuerit hoc de affectu talia evomere verba: *Triste profectò & visu terribile spectaculum, feræ namque species est.* Istum igitur affectum, quantum quidem temporis penuria, ingeniique permittere vult tenuitas (acies enim mentis nostræ quandoquidem ita est infracta, ut non multum vespertilionibus, ad Solem meridianum cœcutientibus sit absimilis, & nemo est mortalium, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat, hanc labem ex ipsa mortalitate traximus, ut ait Seneca de ira *libr. 2. cap. 9. p. 245. inter cætera mortalitatis incommoda & hæc est, caligo mentium*) si enucleemus, operæ pretium nos facturos esse speramus.

Tu igitur Deus, Ter optume, ter maxime; summe Navarcha, cui studia mea Medica unicé fuere dicata, me alis tuæ benedictionis adumbra, radiisque luminis Spiritus tui Sancti illustra, quo incepta exoptatum tutumque acquirant portum, atque ad divinæ Majestatis tuæ gloriam, proximi vero utilitatem commodumque cedant salutare.

CAPUT



Caput Primum.

Definitionem nominalem declarans.

IN omnibus de quibus quæritur, ad rationem oportet adſumi nomen, eo enim ſæpius in rei cognitionem vehimur, inquit de Apollineâ familia bene meritiſſimus Galen. 1. meth. med. cap. 5. & Iulius Cæſar Scaliger. His igitur ad memoriam revocatis, nos quoque ſtatim in frontiſpicio ad nominis hujus affectus explicationem conferamus.

§. 1. Paronymiam quod ſpectat, Elephantiaſis nomen Græcum eſt, ſed latinitate donatum, deſcendit ἀπὸ τοῦ ἐλέφαντος ab animale Elephante, ob ſimilitudinem, quam cum hujus animalis cute habet, cutis enim hoc morbo laborantium, ſcabra, rugoſa & tumida apparet, corio Elephantum haud abſimilis. Alii quidem hunc volunt affectũ etiam ab alias, quas cum hoc animale habet convenientias ita nominare, quæ recenſentur à Sennert. *libr. 5. medic. pract. cap.40. p.169.* ſed nimis propriè, cum omnibus iſtis, affectum hunc ſatis clare corio Elephantum eſſe ſimilem, notum, quibus occaſio tale animal videndi fuerit conceſſa.

§. 2. Homonimia nunc etiam venit declaranda, nam juxta Philoſophum tamdiu noſtra indeterminata ſeſe habet mens, quamdiu vocum non explicetur ambiguitas. Sumitur autem Elephantiaſis nonnunquam propriè, vel impropriè. Impropriè pro Elephantiaſi Arabum, quæ eſt tumor pedum, à ſanguine melancholico, pituitoſo & varicibus exortus. *Vide Prax. Ionſton. libr. 2. c. 8. p.m.* 102. *Foreſt. libr. 29. obſerv.*

 27. *p.*

27. *p.* 818. *Fuchs. libr. 2. paradox. c.* 16. Deinde pro lepra Græcorum, sive albara nigra, quæ nihil est aliud ac scabies in summo gradu, & à scabie solum affectus differt vehementia. Definitionem *vide apud Avicenn. sept. quart. tr. 2. cap. 9.* Propriè vero sumitur pro cancroso totius habitus affectu, maligno, & convenit cum lepra Arabum, ut ex definitionibus apparet. De qua Elephantiasi propriè ita dicta seu lepra Arabum nos in præsentia.

§. 3. Quoad Synonima, multa cum Græca, tum Latina ac Germanica occurrunt. Græca sunt: Ἐλεφάς. Ελεφαντίασις, σατυριασμὸς. *Galen. de tumorib. c.* 14. propter faciei similitudinem, cum Satyris obtinentem, ut & libidinem more Satyrorum. *Plura vide apud Senn. libr. 5. medic. pract. cap.* 40. *p.* 170. *Cœl. Rhodig. antiquar. lection. libr.* 19. *cap.* 25. λέον καὶ λεόντιον, rationes habet *Sennert. libr. 5. med. pract. part.* 1. *cap.* 4. *pag.* 171. *Aetius tetr. 4. Sermon. 1. cap.* 130. *pag.* 663. *Horst. Epist. medic. pag.* 383. *Actuar. de meth. med. lib. 2. cap.* 11. *libr. qui inscribitur princ. med. pag.* 187. ἡράκλειον. *Hollerius de morbis internis cap.* 61. *pag.* 135. Latina: Elephantia. *Sennert. libr. 5. med. pract. part. 1. cap.* 40. *pag.* 169. Cancer universalis. *Paræus libr.* 19. *cap.* 6. *p.* 429. *Galen.* 6. *aphor.* 15. *ad Glaucon.* 2. *cap.* 11. *de atra bile cap.* 2. *meth. cap.* 9. Lepra Arabum. Malum divi Lazari, quod Elephantiaci ulceribus ita scateant, sicut Lazarus ille mendicus. Morbus Herculeus, quoniam eo nullus major est, neque valentior. *Aretæus de sign. & caus. diuturnor. morbor. c.* 13. *libr.* 4. *libr. qui inscribitur princ. med. p.* 51. Germanica: Malezey. Et hæc de definitione nominali.

Caput

CAPUT SECUNDUM.

Definitionem explicans realem.

PErſpectâ nunc Onomatologiâ ſive iis quæ ad nominis declarationem pertinent, reliquum eſt, ut nos ad definitionem realem ejusque rationem accingamus formalem. Definitur autem quod ſit tumor cutis ſqualidus, contagioſus & cancroſus, ab humore melancholico peculiari modo corrupto ortum ducens, multaque ſymptomata inferens.

§. 1. Genus eſt tumor cutis ſqualidus, contagioſus ac cancroſus, in cute enim hoc malum ſeſe prodit. Fomes quidem in internis corporis partibus nimirum maſſa ſanguinea latitat, nemo tamen nominatur leproſus ſive Elephantiacus, niſi etiam malum hoc in cute ſeſe prodit. Etſi enim Elephantiacorum uxores absque omni dubio etiam ſunt infectæ, tamen non ita nominantur, quamdiu hoſpes iſte infelix adhuc in tenebris hæret. Et propterea diſtinguendum inter cauſam & effectum. Cauſa enim hujus morbi diu in corpore latere poteſt, priusquam effectu ſeſe prodat, nec ejuſmodi conjecturam principium ejus exhibet, ut in aliis morbis, quos intemperies manifeſta & putredo humorum communis introducit.

§. 2. Eſt tumor ſqualidus, contagioſus & cancroſus. Contagium autem eſt vel mediatum & virtuale, vel immediatum & corporale, utrumque hic locum habet, *uti Senn. lib. 6. med. pract. p. 120. his teſtatur verbis: Multo vero magis contagioſa eſt lepra Arabum, neq; enim ſolum per contactum ſed & ad diſtans inficere poteſt.* Ex corpore enim tali infectorum morbo atomi atque vapores contagioſi egrediantur, qui, ſi ſubjectum inveni-

veni-

veniant patiens rectè dispositum, recte dispositum inquam, cum non quodlibet agit in quodlibet, sed in proportionatum, in illud sese insinuunt & similem producere affectũ apti sunt, ut testantur historiæ, propterea etiam ex consortio hominum excluduntur, *de quo Paul. AEgineta libr. 4. cap. 22. Quoniam in contagiosis hæc est passio non minus quam pestis, habitandum ijs est quam longissimè ab urbibus, in frigidis & parum habitatis locis.* Deinde etiam per coitum atque contagium immediatum tales propagantur morbi, *Vide Gordor. 1. lil. med. c. 22. Schopff. libr. germanic. de lepra. Et refert. Sennert. lib. 6. med. pract. part. 3. c. 4. p. 121. Valentiæ in Hispania Tarraconensi quod quidam Elephantiasi laborans noctem à nobili meretrice, quinquaginta aureis emerit, eamque infecerit, atq; inde factum fuerit, ut alij, qui cum eadem rem habuerint, inficerentur, atq; ita brevi tempore malum in plurimos disseminatum fuerit.* Nonnulli etiam negare ausi sunt, affectum hunc non esse cancrosum, quia non ut cancer omnia depascat. Verum testantur historiæ etiam inter saltandum nasum absque omni dolore fuisse abruptum.

§. 3. Ab humore melancholico peculiari modo corrupto ortum ducens. Peculiari modo corrupto, inquam quod testantur febres quartanæ, tam intermittentes quam continuæ. In illis magna humoris melancholici adest exsuperantia, & tamen non excitat Elephantiasin. quia adhuc peculiari corruptione ad hunc affectum necessaria est expers, & propterea facile ex lienis vitio ortum ducit, qualem historiam habet *Alcanzius Arabs, ut & Matthiolus in libr. 1. Dioscor. pag. 183. de duabus mulieribus.*

Caput Tertium.
Causas proponens.

IMpoßibile est curationem invenire, nisi morbi effectrix causa prius sit cognita, ait Alexander Trallianus. Propterea & nos in causarũ indagatione hujus morbi debemus esse solliciti.

§. 1. Causa proxima immediata est facultas expultrix, quæ sibi molestum atque inutile expellit.

§. 2. Causam proximam mediatam & continentem, esse atram bilem malignitatis non expertem, & in totum corpus diffusã, ab omnibus statuitur. Et in eo omnes conveniunt, quod ex humorũ adustione hic humor fiat; dissentiunt tamen in eo, è quâ adustione humorum producatur. An autem ista atra bilis ex humorum adustione genita in nostro reperiatur corpore, adhuc sub judice lis est. Non enim credendum nostro in corpore tantum adesse calorẽ humores adurentem. Et nihil aliud atra bilis videtur esse, quam excrementum sanguinis crassum nigricans (melancholicus humor aliis dictus) mixtum ulterius cum parte bilis prætetnaturalis inquit Academiæ Jenensis Decus immortale *Gottofr. Mœbius Præceptor meus omni cum observantiæ cultu honoratißim. in suis fundam. physs. medic. p. 365.* Causa igitur proxima mediata est tota sanguinis massa, ab humoribus tartareis, salsis, & peculiari modo corruptis, inquinita. Omnino autem hîc specifica causa quærenda, quæ tamẽ explicatu difficilis est, in occultâ consistens malignitate. Multoties enim sanguis talibus ab humoribus inficitur, si tamen occulta ac specifica abest malignitas nunquã hic producitur affectus. Salis abundantiam quoq; in hoc humore contineri, clarum exhibet testimonium pruritus & erosio partium.

§. 3. Causæ procatarcticæ sunt vel naturales vel nonnaturales, vel præternaturales.

§. 4. Ex naturalium causarum censu est dispositio corporum peculiaris, quâ quædã individua procliviora sunt, ad hujus mali fomitem recipiendum, nam omne agens requirit patiens dispositum, ad agentis energiã recipiendam.

Dispositio hæreditaria vel ratione seminis, vel ratione sanguinis menstrui.

Per semen haud pauci in liberos à parentibus traducuntur morbi, ut ex exemplis atq; ratione patet, à morbosis enim non salutare potest produci semen, hinc à leprosis leprosi, ab Epilepticis Epileptici generantur.

Sanguine menstruo quoq; fluente si conceptio fit, non raro evenit, talia causari morborum monstra, *Sennert. lib. 6. med. pract. part. 8. c. 32. p. 359. dicit: Sanguinem menstruum homines leprosos efficere.* Raro enim iste purus & à saburra humorum alienus reperitur. Igitur, cum à talibus hunc progignere morbum aptis humoribus refertus sit & conceptio fit, non mirum, talium ut existant causæ morborum, quum post conceptionem raro expelluntur, semenque inquinant, & cum deinde embrioni nutrimentum præbent, visceribus statim cæteroque sanguini inquinamentum atque contagium suum communicant.

AETAS. Mihi videtur ætatem virilem ac senilem hunc ad morbum plocliviorem fore ac juvenilem. In quibus ætatibus major siccitas ac viscerum debilitas, ac in juvenili & puerili semper invenitur.

TEMPERAMENTVM. Temperamentum melancholicum & cholericum utpote siccissimum & calidissimum maximopere ad hanc proclives reddunt labem. Non autẽ totius temperamentum corporis, sed etiam & quidem præcipuè reliquorum corporis nostri viscerum, attendendum venit. Ventriculus si non rectè dispositus non rectè concoquit cibum, sed adurit & corrumpit ex quo haud laudabilis fit sanguis, sed nidorosa cruditas quod vitium coctio-

nis

nis primæ non corrigitur in secunda, multo minus in tertia. Cor si non bene sese habet, non bonus elaboratur sanguis & mala fit nutritio, cor enim est primaria sanguinis officina. Hepar si suo non rectè præest officio, non ulterius sanguis perfectionem accipit, nec biliosa ab ipso separantur recrementa, quæ deinde in sanguine manent, variaq; morborum producuntur monstra. Et sæpè observavi inquit *Henric. ab Heer obs. pag.* 264. *melancholicis quibus hepar æstuabat, nimio Guajaci usu Elephantiacos factos esse, ubi etiam simile proponit exemplum.* Liensi non recte suo fungitur officio, tartarea, crassa sive melancholica materia, ut & salia sylvestria non ita disponuntur, ut deinde in renibus separari possint, sed cum sanguine adhuc commixta, iterum per venas cor petunt, reliquum sanguinem inquiunt, & cum hoc per arterias iterum in universum corpus distribuuntur. Ubi si renes etiam suum ἐπιβάλλον addunt μέρος, major pravorum humorum fit collectio, quia non justo modo sanguis ab impuritatibus liberatur.

SEXVS. Apprehendit hoc malum frequentius viros quam fœminas, atque inter hos illos magis, qui crassum ac viscosum habent sanguinem. Fœminæ vero per fluxum menstruum à multis sese liberare possunt morbis, ut per fœtus gestationem, cum saburra ac malignitas humorum perpetuò evacuetur.

§. 4. Causæ nonnaturales suis etiam non destituuntur viribus.

ÆR crebris suis mutationibus cum partium anni, tum ventorum vaporumque pravorum admistorum respectu magnarum est virium. Hinc in Alexandria ob regionis fervorem, plures elephantiaco corripiuntur morbo, *ut testatur Galen. lib.* 2. *ad Glaucon. c.*10. Et tam necessarius homini aer est, ut ferè ne momento quidem sospes manere queat, eo si destituatur. Autumnus autem hoc in morbo produ-

 cendo

cendo reliquis præripit palmam, cum circa istud tempus humores melancholici atque tartarei maxime in corporibus nostris cumulantur, propter perpetuam aeris vicissitudinem, variorumque fructuum horariorum ingestionem. Calidus quoq; aer nimius hunc producendi morbum potestatem habet, humores enim dissolvit, vires dejicit, & coctionem virtutisque vegetativæ munia debilitat.

CIBVS & POTVS non minoris nisi majoris sunt efficaciæ. Et Fallopius hodie in Gallia & Germania lepram potius ratione victus quam ambientis aeris causa fieri autumat. Quam multi enim in castra Epicuræorum migrant, ventrem multo cibo & potu onerantes, notum. *Hinc colliguntur cruditates sanguisque impurus redditur, ubi cum impurus est, sordes suas deponit, scabiei, lepræ impetiginis causas. Ioh. Pecquet. experim. nov. anatom. p.212.* Inprimis vero hoc præstant cibi, melancholicum generantes succum, ut sale conditi fumoq; indurati. Apud Trinavell. in consiliis certa ratione annotatum esse legimus quod lepra & Elephas pervaserit Germaniam & Galliam non ob aliam causam, quam propter esum frequentem butyri. *Attaranto ha l' aria saluberrima, & contutto ciò vi regna la lepra per l' uso, come io credo della carne di porco & de' fichi secchi cibi ordinarÿ della moltitudine. Gioan. Bottero nelle relation. universal. lib. I. p.88. Quod* etiam testatur *Gal. lib. 2. ad Glauc. c.* 10. *dum scribit: In Alexandria ob regionis fervorem & victum incommodum incolarum, ut qui edant farinam elixatam & lentes & cochleas, & plura salita & carnes asininas & alia quædam quæ crassum & melancholicum humorem generant, plures elephantiaco morbo corripiuntur.* Non solum autem in Alexandria, sed nostra in Germania, Gallia, Italia, Hispania, Africa aliisq; regionibus hic reperitur hospes. Nullibi, enim jam temporis & apud paucissimos observatur magnoq; in pretio habetur Diæta. *Canit quidem Lucretius lib.* 6. *Est Elephas morbus, qui*

propter

propter flumina Nili Gignitur AEgypto in media, neq; praterea usquam. Et Aurel. Cornel. Celsus de remed. lib 3. c. 15. libr. qui inscribitur pr. med. p. 61. dicit hunc morbum in Italiâ bene esse ignotum. Verum ex ore Clariss. Professorum Patavinorum habeo, etiam hunc in Italia reperiri morbum. Quod insuper testatur. *Solenand. cons. med. sect.* 1. *consult.* 25. *p.* 110. *his verbis. Mihi vero hoc sequenti experimento alios in simili & graviori casu in Italia curatus est. ut & Vidius de curat. gen. lib.* 5. *c.* 8. *p.* 414. *sequentibus: Potest tamen ratio victus prava in quavis regione Elephantem excitare ob quam & nunc in Italia visitur, & sæpius in Gallia atque inferiori Germania, ubi vehementiora & mera vina bibunt & simul butyro plurimo vescuntur.* Etiam Cerevisia fæcibus adhuc scatens ut & mustum in augendo hoc malo non minorem obtinent vim.

MOTVS & QVIES si immoderatus fiant pravos succos hujus mali feraces, vel cumulare vel cum impetu queunt movere.

SOMNVS & VIGILIAE ritè si instituantur, haud facile corpora nostra lædunt. Si verò somnus sit immoderatus crudi cumulantur succi, coctioque viscerum debilitatur. Per vigilias verò nimias boni & laudabiles absumuntur humores, mali vero retinentur, viresque universi dejiciuntur corporis.

EXCRETA & RETENTA magni etiam sunt momenti nimirum excrementa alui, menses, hæmorrhoides &c. Si clauditur consuetum alui beneficium, excrementa cumulantur, exindeque semina pro morbo hoc excludendo sparguntur in universum corpus. Mensium fluxus si inhibeatur, quam maxima tunc humorum saburra talibus in corporibus cumulatur, cuivis obvium est, *uti testatur Roder. à Fonseca consult. medicinal. consult.* 60. *p.* 230. *de muliere* 40. *annorum ex obstructione mensium Elephantiaca facta.* Hæmorrhoidum suppressio, quibus antea fluxere, non est vilis

 haben-

habenda. *Et Hippocr. 6. Epidem.* 36. 37. *&* 3. *de humoribus* 26. *Qui hæmorrhoidales habent, iÿ neq; laterus dolore, neq; palpitatione, neq; inflammatione, neq; phagedæna, neq; lepra neq; aliÿs corripiuntur morbis.* Per illas enim humor expellitur melancholicus. Si autem humores tales diu in corpore detineantur, indies evadunt pejores, tandemque malignitate ſpecifica acquiſita, ſanguinis maſſam inficiunt.

ANIMI PATHEMATA hunc ad affectum promovendum, ſua etiam non carent virtute. Inprimis vero mœror & meditationes diuturniores, crudas cumulantes humores.

§. 5. Etiã cauſæ præternaturales multoties hic obveniunt, *uti ſcribit Senn. lib.* 5. *med. pract. part.* 1. *c.* 28. *p.* 124. *Scabiem diuturniorem in lepram migrare poſſe, ut & Holler. de morb. intern. lib.* 1. *p.* 135. *ex lue venerea.* Inprimis vero contagium per congreſſum venereum, perpetuam converſationem, lectum, oſcula, compotationes, reſpirationem & exhalationem virulentam. Nonnunquam etiam talis introducitur morbus à veneficiis & Diabolo, qualia exempla *deſcribit Hieron. Iordan. de eo quod Divinum eſt p.* 127. *his verbis: Refert Sprengerus de muliere inter Briſacum & Friburgum cum vicina ſua litigante, quæ cum noctu ante oſtium domus aliquid ageret, ventus calidus è domo fœminæ alterius ex oppoſito habitantis in faciem ei ſufflavit, ex quo lepram ſubito contraxit. Alia venefica, cum jam ſtrui lignorum eſſet impoſita, lictorem afflans, en tibi à me mercedem, ſimulque in faciem ejus ſufflans, miſerum illum horrenda lepra, totum cooperuit, quæ paucorum dierum ſpatio vitâ eum privavit.* Ita etiam à philtro non neminis totum corpus cruſtá denſiſſima undique fuit obtectum, ut ſex integris hebdomatis perdius pernoxque ſteterit, *ut idem narrat.*

CAPUT QUARTUM.

Differentias enucleans.

COgnitis nunc caufis, differentias ut proponamus ordo poftulat. Quamvis vero multæ Elephantiafis fpecies reperiuntur *ut c. 1. de homonomya dictum, & Iohan. Monard. Epift. med. lib. 7. p. 107. habet*, tamen hic commode in duas dividi poteft differentias, ratione nimirum malignitatis remiffæ vel extenfæ, & ratione fanguinis melancholici. Eft igitur Elephantiafis vel contumax inveterata & incurabilis, vel mitis, recens & curationem admittens. Deinde rubicunda, alba fubflava, nigra & ulcerata. Differentia ab aliis morbis etiam hic inftituenda effet, cum vero cap. 1. §. 2. factum, faltem hic loci differentiam à lepra Judæorum ad manus fumere volumus. Facta autem fuit in lepra Judæorum 1. pilorum mutatio in albedinem, quod in noftra non fit. 2. depreffio cutis ápparuit, in noftra vero adeft tumor. 3. Jlla domus & alia infecit, hæc vero non præftat. Tantum enim erat illud lepræ apud Judæos contagium & tam profunde in ipfos lapides & muros fe infinuabat, ut non folum eos radi & nova induci calce oportuerit, fed fæpe tota deftrui neceffe effet ædificia. 4. Lepra Judæorum album habuit colorem, nam egreffus eft ab eo lepra quafi nix *lib. 2. Reg. c. 5.* noftra vero colore corium elephantis æmulatur. 5. Si totum corpus à capite ufque ad calcem lepra Judæorum fuerit oppreffum, pro mundis fuere habiti, quod in noftra elephantiafi etiam nullum habet locum, & potius hic indicat materiæ multitudinem ac malignitatem. Toto itaque inter fe differunt Cœlo. *Plura vide in comp. med. ex facr. fcript. deprompt. Iohann. Georg. Groffij. p.* 88.

Caput Quintum.

Signa indicans Diagnostica.

§. 1. *Solus is, qui signorum cognitionem habuerit ritè curationem aggreditur inquit Divinus Senex Hippocrat. & Galen. lib.1.de loc.affect. Nemini ad affectam partem pervenire licet, nisi per signa.*

§. 2. Sunt autem signa vel diagnostica, quæ præsentem, vel prognostica quæ futurum morbi nobis declarant statum, jam de signis diagnosticis.

§. 3. Sunt vero vel Elephantiasis imminentis vel confirmatæ.

§. 4. IMMINENTIS SVNT 1. Segnities ac lassitudo, propter multitudinem, crassorum in corpore humorum, musculos replentium naturamque opprimentum, 2. Spiratio tarda ac difficilis, propter humores pulmones opplentes. 3. Motus difficilis, ob copiam humorum musculosas partes distendentium. 4. Assidua alvi constrictio propter calidum corporis habitum. 5. Urinæ veluti jumentorum lotia propter humorum cum sanguine commistionem. 6. Proclivitas in venerem, propter humorum salsedinem semen quoque inficientium. 7. Sudor totius corporis ob materiæ copiam. 8. Ructatio molesta propter flatus, à crudis humoribus in ventriculo hospitantibus, excitatos vel etiam ex hypochondriis eo missos. 9. Raucedo vocis propter asperæ arteriæ siccitatem atque asperitatem. *Quando enim rubedo conjuncta est cum inflatione faciei & raucedine vocis lepræ imminentis signum est. Sennert. lib.5. Med. pract. part.1. c. 23. p.* 116. 10. Mores melancholici, propter vapores melancholicos caput petentes spiritusque animales obscurantes. 11. Somnia turbulenta etiam propter vapores in caput ascendentes. 12. Incubus, propter vapores ex infimo ventre ascendentes, diaphragma atq; pulmones prementes.

§. 4. Notandum vero ex his enumeratis signis nihil certi concludi posse, cum etiam aliis sint cõmunia morbis, propterea sequentia nimirum confirmatæ Elephantiasis magis sunt observanda, neque etiam seorsim, sed simul sumpta. Verum etiam non omnia in omni reperiuntur Elephantiasi, sed in aliis alia deprehenduntur symptomata, ut est peculiaris cujusq; corporis constitutio, vita, lex & humoris pernicies, interim tamen potiora.

§. 5. CONFIRMATAE SVNT: 1. Extuberationes in plerisq; corporis partibus, ut sub superciliis, circa aures, variisq; in faciei ut & aliarum partium locis, propter materiam morbificam ad cutim expulsam. 2. Oculorum exacta rotunditas & obtutus eorum fixus ac immobilis, propter adipis consumptionem & musculorum extenuationem. 3. Pilorum casus propter malum eorum nutrimentum. 4. Si pili evellantur pars albæ cutis simul evellitur, quod certissimum est lepræ signum, *ut inquit Senn. lib. 5. med. pract. part. 1. c. 40. p. 172.* 5. Aurium acuminatio, propter malam nutritionem. 6. Labiorum crassities, propter affluxum humorum. 7. Color faciei lividus, propter summam cachexiam, nam quales humores, tales etiam colores in corpore. 8. Stupor abolitusque sensus tactus in externis partibus, ob materiam vitiosam partes opplentem nervosq; comprimentem, ut spirituum inhibeatur influxus animalium, à quibus omnis sensus. 9. Venarum sub lingua intumescentia ac nigredo ut & glandularum linguæ circumjacentium tumores rotundi, propter materiæ affluxum. 10. Musculorum manuum gracilitas præcipuè inter pollicem & indicem, ob alimenti laudabilis defectum. 11. Unguium fissura, etiam propter defectum alimenti & siccitatem summam. 12. Sub cute in quibusdam locis formicationis ac titillationis sensus, ob salsos sub cute ascendentes vapores. 13. Febris raritas, ob ab-

 sentiam

ſentiam putredinis. 14. Pulſus debilitas quaſi convaleſcentium & ſenum, ob cordis imbecillitatem ac malignitatem. 15. Sanguis niger livеſcens, ob pravæ materiæ admiſtionem atque corruptionem. 16. Urina tenuis, alba, ob debilem coctionem in renibus & materiæ ad cutem averſionem. 17. Cutis cruſtoſa, ſqualida & ſciſſa, ob puſtulas ibi exiſtentes atq; materiam acrem cutim erodentem ut & ſiccitatem. 18. Sternutatio frequens, propter vapores ſalſos meninges cerebri vellicantes, expultricemq; facultatem ſtimulantes. 19. Fœtor narium ob materiæ ibidem latitantis putredinem. 20. Mediæ cartilaginis naſi corroſio à ſalſis humoribus. 21. Cutis unctuoſa aſſperſam aquam non recipiens, propter pinguedinis ſub cute colliquationem, & excrementorum pinguium in eam effuſionem. *Wecker. de Secretis lib. 5. p.* 129. *ad Elephantiaſin dignoſcendam hæc habet: Elephantiaſi correptos deprehendes ex lotio, cui plumbi cineres inſperſi ſunt. Nam ſi ſubſidunt nullum ineſt contagium, ſin fluitant, & in urinæ ſuperficie hærent, certiſſimæ labis ſignum oſtendunt. Et Holler. de morb. intern. hæc ſcribit: ex urina ſignum habemus certiſſimum ſæpius probatum & nobis à viro doctiſſimo pro ſecreto datum.* An vero hæcce ita ſunt adhuc ſub judice lis eſt. Et propterea rectè memorat *Fernel. de part. morb. & ſymptom. lib. 5. c. 19. p. 397.* Quod ex urinis aut ex ſanguine traditæ notæ incertæ omnino ſint atque fallaces. *Plura vide apud Horſt. Epiſt. Med. ſect. 4. p. 387. Sennert. lib. 5. med. pract. part. 1. c. 40. p. 172. Leonh. Fuchs. de med. morb. lib. 5. p. 601. Ioel. lib. 10. prax. ſect. 3. p. 427. Hafenreff. de cut. affect. p. 112. Franciſc. Valeriol. in enarrat. med. lib. 6. enarrat. 5. p. 835.* Examen leproſorum habet *Horſt. Epiſt. med. ſect. 4. p.* 388.

Caput Sextum.

Signa determinans Prognoſtica.

AUditis ſignis diagnoſticis, progreſſum facimus ad prognoſtica. Ubi ſciendum malum hoc propter malignitatem diu in corpore latitantem atque humorũ pravorum copiam ac corruptionem ſummam eſſe graviſſimum, ac vix ullum etiam repertum remediũ hujus mali malignitatem ſuperans atq; vincens. Quapropter recens ac nova elephantiaſis adhuc aliqualem promittit curationem, quamvis etiam non ſummo abſque labore, præſertim ſi ex mala victus ratione vel alterius inquinati cõtagione, non autem ex ſemine parentum malum duxerit ortum. Tardius enim hoc malum ſeſe manifeſtat, & non prius ſuum edit fœtum, ac ſi altas egerit radices, atque malignitate ſua nobiliora corporis viſcera obſidens corrupuerit. Et Elephantiſeos malum impendens difficile, præſens vero plane incurabile eſt inquit *Haſenreff. de cutis affect. p.* 111. Attamen ex collectione exemplorum manifeſtum eſt, etiam præſentem curatam fuiſſe elephantiaſin. *Vide Horſt. part.* 2. *obſerv.* 22. *p.* 160. *Henric. ab Heer. obſ.* 28. *p. m.* 263. *Senn. de febr. p.* 445. *Bald. Angl. Abbat. de viper. p.* 93. 119. 120. 123. *Gal. lib.* 3. *de inform. Empir. c.* 12. Inveterata vero & inhabitum converſa planè eſt incurabilis *ut teſt. Senn. lib.* 5. *med. pract. Ioel. lib.* 10. *pract. ſect.* 3. *p.* 428. rationes *vide apud Rondelet. meth. curand. morb. c.* 87. *p.* 632. *Hartm. prax. Chymiatr. p.* 195. Quanquam autem hoc malum inveteratum ferè nullam admittit curationem, tamen propter Chriſtianam charitatem nemo in anguſtiis & absq; auxilio relinquendus ut *habet. Aetius tetr.* 3. *ſerm.* 1. *c.* 120. *in lib. qui inſcribitur prax. med. pag.* 664. ſed potius omni marte tentendum quouſq; in pugna hoc cum hoſte pervenire poſſumus. Et licet non totaliter ipſum in

fugam profligere valeamus tamen videndum, ſaltem copias ejus ut imminuere atque quodammodo ſub imperii jugum redigere poſſimus.

Caput Septimum.
Curationem exhibens.

CUratio ſequentibus utitur indicationibus. 1. Antecedentis cauſæ & conjunctæ remotione. 2. Humorum quatenus manifeſtis peccant qualitatibus contemperatione & alteratione, quatenus vero occultis ſpecificorum curatione. 3. Cutis aſperæ ac fœtidæ ſublatione. 4. Viſcerum debilitatorum refectione. 5. Virium amiſſarum reſtauratione. Quæ omnia tribus ex communibus illis fontibus accerſere nobis licet, fonte nimirum chirurgico, pharmaceutico & diætetico.

FONS CHIRVRGICVS ſuadet. 1. Venæſectionem cauſam morbificam detrahentem ſanguinemq; calidum ventilantem. 2. Scarificatio non commodè propter puſtularum copiam atq; cutem quaſi corio obductum inſtitui poteſt. 3. Cauteria etiam propter materiæ multitudinem parum utilitatis præbent in curatione, niſi præſervationis gratia adhibeantur. 4. Ligaturæ & frictiones nullius etiam ſunt momenti. 5. Hæmorrhoidum apertio in conſuetis non eſt inutilis, quia magnam humoris melancholici abſumunt copiam. 6. Caſtratio, quæ teſte Laurentio Elephantiacis olim ſingulare erat præſidiũ, *Mæb. fund. phyſiol. med. p.* 500. *Iacob. Holler. de morb. intern. c.* 6. *p.* 134.

FONS PHARMACEVTICVS. 1. Purgationem indicat quia per iſtam univerſum corpus ab omnibus ſuis liberatur inquinamentis. 2. Sudationem, quæ materiam ex corpore ad cutim expellit. 3. Medicamenta ſpecifica. Iſta autem petuntur ex tribus regnis, nimirum vegetabili, animali & minerali.

PVRGANTIA SVNT: Caſſia. Carthamus. diaſebeſten, fol. ſennæ, extr. fol. ſennæ, ſpiritus ſennatus, pulv. diaſennæ, ſyrupus de ſenna, Electuar. diaſenæ. Polypodium, Epithymum, ſyrup. de Epythym. Helleb. niger, ſyrup. roſat. ſolut. helleboratus, Extr. hellebor. nigr. pulv. ſenæ præparat. montagn. lapis armen. pil. de lapid. armen. lapis lazul. Extr. lapid. Lazul. pilul. lapid. Lazul. Extr. melanag. Quercet. ſyrup. de pomis Regis ſabor. Pilul. de quinque generib. myrabol. de fumaria, Indæ, lucis majoris, de coloquinth. antimon. Mercur. laxativ. Mercur. cum Sole, ſed caute.

SVDORIFERA SVNT: Sal. fumar. rob. ſamb. ebul. ſalſaparill. lignum guajac. Saſſafr. Cornu cervi, lapis bezoar, Tinct. bezoar. *incomparabilis viri Dn. D. Michaelis.* Sal abſynth. fraxin. ſcabioſ. Terra ſigill. bezoart. ſimpl. & ſolare, antim. diaph. ſulph. antim. fixus, Mercur. præcipit. diaphoreticus, Theriaca. Huc etiam pertinent balnea.

Specifica ſunt vel externa vel interna.

INTERNA SVNT: Eſſent. fumar. ſcabioſ. Decoct. ſarſaparil. vinum chalybeat. Decoct. rad. Tamariſc. ſuccus betul. Elix. propriet. Theriaca, viperæ, vinum muſt. viperinum, ſal, oleum, eſſent. trochiſc. caro, alcohol. viperarum. pulli gallinaccci viperarum vel colubrorū carnibus paſti. Milvius. Merc. dulc. Tinct. antim. *Doct. Möllenbrocij.* Tinct. corall. arcan. corall. ſpecif. cephalicum. *D. Michaelis*. ſanguis leporinus calidus, *Ionſton. prax. lib.* 2. *c.* 9. *p. m.* 104. Spir. & alcohol ſerpentum. Mithrid. cæleſte Quercetan. *Hartm. prax. chym. p.* 196. ranarum paluſtrium uſus. *Ioh. Iacob. Weckerus de Secret. lib.* 5. *p.* 129 Succus ex anſerum recenti ſtercore expreſſus. pulv. lepor. in Martio capti, ſerum caprinum, angues ſale conditi. Plura tam interna quam externa, ſimplicia ac compoſita, ut & de car-

ne vi-

ne viperina an nimirum commoda ſit nec ne, *Vide apud Grembſ. libr.* 2. *cap.* 1. *arbor. pag.* 201. *num.* 51. *Sennert. libr.* 5. *med. prax. pag.* 177. *ſect.* 2. *cap.* 9. *pag.* 326. *libr.* 4. *de febrib. c.* 5. *de præſerv. peſt. pag.* 447. *Celſ. lib.* 3. *cap.* 25. *Horſt. Decad.* 10. *probl. quæſt.* 4. *pag.* 161. *Cælium Aurelium lib.* 4. *c.* 1. *pag.* 96. *Alpharaic. de lepra tr.* 21 *Octav. Horatian. libr.* 1. *cap.* 31. *Hali abb. libr.* 1. *antidot. Garipon. libr.* 5. *Iulium Palmar. Conſtant. cap.* 9. *libr.* 1. *de Elephant. pag.* 296. *Galen. lib.* 11. *ſimpl. de carn. viper. libr.* 2. *ad Glaucon. cap. penult.* 3. *de aliment. facult. cap.* 3. *Leonhard. Fuchs. de med. morb. p.* 607. *Oribaſium de virt. ſimpl. libr.* 2. *libr. qui inſcribitur prax. med. pag.* 593. & 3. *de morbor. curat. cap.* 62. *pag.* 638. *Aetium tetr.* 3. *ſerm.* 4. *libr. qui inſcrib. princ. med. pag.* 618. *tetr.* 4. *ſerm.* 1. *pag.* 666. *tetr.* 1. *ſerm.* 2. *pag.* 93. *Vidum Vidium de curat. gener. libr.* 5. *cap.* 8. *pag.* 416. *Solenandr. ſect.* 1. *conſ.* 25. *pag.* 110. *Baldum Angl. Abbatium de viperis pag.* 97. *Aretæus. libr.* 2. *de curat. morbor. diuturn. cap.* 13. *p. m.* 96. *Paul. AEginet. de remed. libr.* 4. *c.* 1. *libr. qui inſcrib. princ. med. pag.* 501. *libr.* 7. *pag.* 621. *Holler. de morb. intern. cap.* 61. *pag.* 134. *Alexandr. Maſſar. de peſte lib.* 2. *p.* 35. *Schröd. pharm. med. Chym. libr.* 5. *claſſ.* 1. *de animal. pag.* 306. *libr.* 3. *c.* 17. *p.* 448. 450. *libr.* 4. *claſſ.* 1. *pag.* 25 *claſſ.* 4. *pag.* 250. *Vict. Trincavell. conſ. libr.* 3. *pag.* 695. *Hafenreff. de cutis affectib. pag.* 123. *Dinheimium de med. univerſal. cap.* 8. *pag.* 3. *Marinell. in libr.* 9. *Almanſor. cap.* 23. *pag.* 374. *Rondelet. meth. curand. morb. cap.* 87. *pag.* 633. *Actuar. de meth. med. libr.* 6. *cap.* 8. *lib. qui inſcrib. princ. med. pag.* 326. *Nicola. Myreps. de antidot. ſect.* 1. *cap.* 355. *libr. qui inſcrib. princ. med. pag.* 432. 453. 455. *ſect.* 3. *cap.* 83. *pag.* 486. *cap.* 88. *pag.* 487. *ſect.* 8. *cap.* 79. *pag.* 529. *Scribon. Largum. de compoſ. medic. cap.* 102. *libr. qui inſcrib. pr. med. pag.* 234. *Guilielm. Varignan. ſecret. ſubtil. pag.* 123. *Theophr. Paracelſ. paragraphor. libr.* 6. *cap.* 4.
pag.

pag. 465. Commentar. libr. 6. paragraphor. pag. 188. libr. de renovat. & restauratione pag. 827. Von den natürlichen Badern. *tract. 5. part. 2. Archidox. magicæ pag. 551.* Sed ista sunt superstitiosa. *Iulium Cæsar. Claudin. de ingressu ad infirmos appendic. pag. 175. 190. &c. Aristotel. 6. de histor. animal. cap. 29. de viper. Wecker. antidot. special. libr. 1. part. 14. pag. 60. 65. 136. 296. 230. 321. 399. 415. 910. 1053. 1172. Matthiol. comment. in libr. 1. Diosc. pag. 113. in libr. 2. p. 277. 326. 344. in libr. 3. pag. 77. 80. 55. in libr. 4. pag. 364. 564. Plinium libr. 30. cap. 3. Roder. à Fonseca consult. medic. pag. 231. tom. secund. p. 51. Adrian. Ziegler. pharmac. spagyr. p. 78. Osvvald. Croll. Basil. chym. pag. 212. 240. 280. Idem de signaturis internis rerum pag. 45. Petr. Iohann. Fabr. chyrurg. spagyr. part. 3. cap. 12. pag. 140.*

FONS DIAETETICVS hîc maximopere est observandus inprimis eligatur aer purus ad frigidum magis quam calidum vergens cibus sit facilis coctionis, nullum crassum ac melancholicum succum præbens, loco potus neque vinum propter caliditatem, neque cerevisia propter aptitudinem generationis humorum crassorum facilè admitti potest, sed eligendus potus è succo malorum dulcium maturorum ac deinde bene defœcatus, quia hic maxime hypochondriacis ac melancholicis conducit. Somnus & vigiliæ sint moderatæ, melius tamen est si cõmittitur excessus in vigiliis quam somno. Motus & quies etiam secundum naturam instituenda, & neque in excessu neque in defectu peccatum committendum. Excreta & retenta semper secundum naturæ leges sese habere debent, ut nimirum alvus sit laxa, in mulieribus vero menstrua justo fluant tempore. Animi pathemata semper fugienda inprimis vero ira ac mœstitia ut & nimiæ intentiones. *Plura vide apud Rondelet.*

meth.

meth. cur. morb. cap. 87. pag. 632. Aretæ. de cur. morb. diuturn. cap. 13. p. m. 96. Paul. AEginet. libr. 4. cap. 10. remed. libr. qui inscrib. pr. med. pag. 501. Actuar. de meth. med. libr. 4. c. 15. pag. 243. Aetium tetr. 4. serm. 1. p. 670.

Pauculis hisce benevole Lector, rudi tanquam penicillo & quidem sponte hunc adumbrare volui affectum. Me enim non latet, multa adhuc esse manca. Tamen cum mihi non mens fuit, integrum absolutumque conscribere tractatum, sed levem exercitii gratiâ disputationem, nec etiam vanam quærere gloriolam, hæcce saltem in medium & quidem relativè proferre mihi placuit, quo major disputandi ansa daretur. Certus enim sum, multos reperiri Momos, virulentis hæcce vulnerantes linguis. Veruntamen

De mordeas licet, peribis nam statim
Tu pessimum virus, lues & pessima.

Abite igitur à me O phiogenes! abite Phylli! nati venena tantum exsugere scriptorum. Parum enim vos curo, O angues, O viperæ, ac inutilia terræ pondera, sed potius remitto ad tenuem vestram supellectilem:

Tecum igitur habita, & noris quam sit tibi
curta supellex.

Cœteri econtra adeste mites ac candidi, qui parati non impellere lapsantem, sed benigna potius aliqua interpretatione levare.

SOLI DEO GLORIA.

